

2

ELEGIA
IN NATALEM
IESV CHRISTI FILII DEI
ET MARIAE VIRGINIS
DOMINI ET SALVATO-
RIS NOSTRI.



SCRIPTA
A
MELCHIORE NEOPHANIO.



Anno.

M. D. LXVIM.

Reverendo Viro P. M. 106
Pastorij Ecclesiae
suo colenda

ILLVSTRISSI MIS PRINCIPIBVS AC

DOMINIS, DOMINO HENRICO ET

Domino VVILHELMO Fratribus, Du-
cibus Brunsvicensium ac Luneburgensium,

Domini suis clementissimis.



Agnatini illustresq; Duces, atq; inclita proles
Magna Brunoniace spesq; decusq; domus.
Dum solita immitis modo vos exterminat aula
Pestis, abhuc multis que furit atra locis.
Temporis est ratio, dubio procul, illa molesta,
Et mentem subeunt curæ animumq; graues.
Ocia si inuitis iniuria temporis adfert
Hic qua, & perpetuo hæc hora labore uacat.

Quantumuis nostræ non magna est gratia uenæ

Forsan, & hæc minimum carmina laudis habent.

Attamen hanc solito uilem candore Thalam

suscipite, & facili uoluite mente precor,

Quæ breuiter cecini pueri natalia CHRISTI,

Quæ redeunt solito iam celebranda die.

Quæ si forsan, ut est, uobis inculta uidetur,

Gratia nec uersus exposit ulla meos.

Temporibus uiteq; meæ date, tristia nam sunt

illa, molesta sed hæc plena labore mihi est.

Et, ueluti facitis, studijs Musisq; fauete,

Nominis id uestri laus erit atq; decus.

V. C.

additiss.

Melchior Neophanius Rector scholæ

Ægidianæ apud Brunsvicenses.

ELEGIA DE NATALI FILII
DEI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.



CHRISTE Dei fili de virgine nate
Redemptor
Nasceris vt misero paruus in orbe
puer.
Angelicus nostro letatur nomine
coetus.

Et canit aeterno cantica grata patri.
Gloria summe tibi genitor, gratissima terris
Pax sit, & aeternum noscere cura Deum.
Nos igitur quorum coelestia nomine regna
Liquisti, nunquid te celebrare decet?
Et decet, & iustum est: ideo vos quotquot adestis,
Aeternae quibus est cunctae salutis amor.
Exiguo mecum celebretis carmine CHRISTVM,
Qui nobis hodie est natus in orbe puer.
Tempus erat summos quo nix nitidissima montes
Cumq; feris syluis aua cuncta tegit.
Cum creber vasto dominatur in aequore turbo,
Amillasq; suas nauita deslet opes.
Nuda suis & cum spoliata est frondibus arbor,
Tactaq; frigoribus quaelibet herba facet.
Cum videas iterum Iani properare calendae,
Et summo Brumam vertice stare poli.
Iamq; suis tenebris totum circumdedit orbem,
Quae stabat mediq; nox tenebrosa plaga.
Cum chorus Angelicus celso de vertice coeli
Scandit, & offuso lumine cuncta replet.
Vicinos vero pastores forte per agros
Lanigeros pascunt nocte latente greges,
Obscuriq; iacent imis sub vallibus antri,
Et sua viuifico corpora ab igne fouent,

A ij

Qui

Qui pauidi subito miracula tanta uidentes
 In durum proni procubuere solum,
 Queis iuuenum illorum niueis in vestibis vnus
 Accedens, pauidis talia verba refert:
 Ponite corde metum stupidi: quid namq; timetis?
 Adferimus vobis gaudia magna viri,
 Scitis vt Augustus, toto qui victor in orbe
 Est modo, subiectos conuocet orbe sibi,
 Quilibet in patriam descendere cogitur urbem,
 Et dare cum censu nomina quisq; sua.
 Cumq; etiam vestras felix deulerit vrbes,
 Vestri etiam Regni scepra verenda gerat,
 Tota domus Iudæ (Iacobi ut carmina dicunt
 Eximio regno iam spoliata suo)
 Circum it, & quiuis ad quam modo pertinet urbem
 Pergit, & in dextra munera danda gerit.
 Inter eos etiam quidam cognomine Ioseph
 Pauper, at è Regis stemmate progenitus
 Vicinas hodie vestras accessit in oras
 Vrbs vbi de panis nomine dicta domo est,
 Atq; senem tremulum comitata est virgo meantem,
 Quæ quoq; Davidis sanguine nata fuit.
 Et iam nupta seni pregnans de flamine sacro
 Edidit hic partum virgo pudica suum.
 Ac peperit summi natum, sine semine, patris,
 Cui paret quicquid terra polusq; tenet.
 Qui toties patribus, toties promissus Abramo est,
 Virginis in molli nunc jacet ille sinu.
 Pergite eò absq; mora, mirum casa rustica dictu
 Parua Redemptorem totius orbis habet.
 Dixit: & in tenues coram pastoribus auras
 Cum socijs transit, regnaq; summa petit.
 Illi autem nondum posito de corde timore
 Inter se miscent talia verba viri:

O socij, quæ iam nobis facienda putatis?
(Cœlestes nunquam dicere vana reor.)
Surgamus, medijs pecudes linquamus in aruis,
Discendum est quis sit paruulus iste puer.
Qui nos ire pius iuuenis modo iussit ad urbem,
Ille etiam nostras credite pascet oues,
Illene quem toties sancti petiere Prophetæ
Esset nunc paruus natus in orbe puer?
Ah miserum hospitium puero casa rustica præbet,
Regia sufficeret non satis aula Deo.
Talia dicentes inter se, de grege surgunt,
Bethlemidosq; petunt mœnia parua domus.
Cumq; casam intrarent, puerum cum matre Maria
Iosephq; pio turba beata videt.
Quid veniant Ioseph, & quæ sit causa requirit
Aduentus, cum sit nox tenebrosa tamen:
Ipsa etiam mater Domini, vos quæso, quid, inquit,
Impulit, hoc vna vt susciperetis iter?
Illi cœlestis retulit quæ turba fatentur,
Edita quod mundi iam sit amica salus.
Ah quod non isto licuit mihi tempore nasci
Quo natus mundo est filius ipse Dei.
Oscula liballem puero, sacra dona dedissem.
Ah quam Pastorum turba beata fuit.
Dicite Pastores, quidnam casa rustica vobis
Monstrauit, nunquid corpora parua Dei?
Vidimus hic casta puerum de virgine natum,
Qui nobis miseris causa salutis erit.
Dicite, quæ pueri cunæ? præsepe bouinum.
Quis lectus? scenum & gramina dura torus.
Quod fuit hospitium? vilis casa rustica. Serui?
Pone pedes Asinus, Bos piger ante pedes.
Dicite quæ pueri fuerit fortuna? tyranni
Ensis, & infesti vis truculenta gregis.

Sed quis id impedijt? monita est sub nocte Maria,
 Vt peteret Pharij regna superba Ducis.
 Fœlices quorum causa tam turpia passim
 AETerni soboles creditur esse Dei.
 Cuius causa etiam summo descendit olympo,
 Assumens hominis membraq; factus homo est.
 Illi hæc assiduus celebrarent laudibus, atq;
 Deberent grates dicere CHRISTE tibi.
 Felices adeo tantis & honoribus aucti
 NOS sumus in NOSTRVM transijt ille genus.
 Propter NOS homines sublimia regna reliquit,
 Propter NOS voluit paruulus esse puer.
 Vt NOS æterno fuimus qui funere digni
 Ex Sathanæ raperet fortiter ipse domo.
 Felices igitur NOS, quorum talia fecit
 Nomine, iam gratos conuenit esse Deo.
 Huc igitur quibus est curæ via cunq; salutis
 Huc properate, homini dicite grata Deo.
 Carmina iam nato gratam testantia mentem
 Dicite, carminibus iam loca cuncta sonent,
 Dicite nunc Hymnos puero, componite versus,
 Et læta puerum psallite voce Deum.
 Sed cur non magnus voluit Deus esse Propheta,
 Paruulus at potius maluit esse, rogas?
 Quid magis est puero placidum, magis atq; venustū.
 Paruulus hinc CHRISTVS maluit esse puer.
 Atq; recens natum puerum quis adire veretur?
 Nullus at Heroas audet adire viros.
 Dicite iam laudes puero, pia carmina ferte,
 Iam læti infantem concelebrate Deum.
 Sustulit æternis victores Roma triumphis
 Debellare hostes qui potuere feros.
 Nos ne igitur magis huic victori dicere laudes
 Fas erit, æterno NOS hic ab hoste rapit.

Vilia non etiam non contemnenda Redemptor
Parvulus hic, verum munera magna dedit.
Quæ sint illa rogas? Sathanam superavit, & Orcum
Cum Stygio horrificum sustulit igne canem.
Iustitiæq; autor nostræ fuit, atq; salutis.
Hæredes regni fecit & esse suos,
Quarq; infernales relægata erat aurea ad umbras
Nosq; Deumq; inter, pax, puer hanc retulit.
Qua iam mens hominum, nullius criminis experta,
Conscia ceu recti nititur, huius ope,
Latitiam inq; Deo pacato concepit, en sic
Oscula Iustitiæ & dulcia Pacis habes.
Dat vitam, Flamencq; sacrum, dat & ardua præter
Hæc quoq; , quæ nimium longa referre mora est.
Hæc scire, & memori reputare ac voluere mente
Principium est laudis parvule CHRISTE tuæ.
Quo præeunte tamen fiducia vera sequatur
Vera fides nitens sola tuis meritis.
Nam scit & inferni dominus quod natus es orbis,
Attamen in Stygio permanet ille lacu.
Scit Papistarum teterrima turba, sed illis
Damnata æterna corpora nocte manent.
In Domino est illi nam non spes fixa salutis,
Hæc meritis fidit perdita turba suis.
Quare præcipua est huius celebratio festi,
Verum hominem & verum credere te esse Deum.
Messiamq; illum promissum patribus olim
Quo nascente simul ius necis omne cadit.
Credimus hoc, veluti pia vatum oracula produnt,
Carminibus de te qui cecinere suis.
Ipse velut genitor de te prædixit IESU.
Natus es ex Iesæ posteritate domus.
Amosides matrem describens, autumat, illa
Virgo erit, & vitam virgine matre capis.

Temporis

Temporis Ifacides meminit, Daniëlq; Propheta,
 Ponet vbi Iudæ scepra verenda domus:
 Nasceris Augustum penes est cum summa potestas
 Amplius hoc populo iuris habente nihil.
 Paruula Bethla locum patriæ fore Micha fatetur:
 Paruula Bethla tibi patria uera fuit.
 Quisnam igitur sanæ mentis, carissime IESV,
 Messiam & verum te neget esse Deum?
 Spargant Ifacidæ fatis in te scommata cæci
 Multa: Prophetarum nos magis ora mouent.
 Nos te hominem verum de virgine matre fatemur,
 Deq; Deo verum credimus esse Deum.
 Virginis intactæ descendis matris in aluum:
 Velleris à dextra nec tamen ipse patris.
 Summus & imus idem es: Syrijs ceu vidit in agris
 Ifacides, fessa vt membra sopore rigat.
 Scilicet excelso cœli de culmine scalam
 Qua chorus Angelicus itq; reditq; frequens.
 Portentum hoc monstrat mysteria magna, futurum,
 Sic, Deus vt matris scanderet in gremium.
 Et licet in gremium matris descenderit, illic
 Mansurum a dextris attamen esse Dei,
 Angelici nobis mysteria talia cœtus
 Miscentes læti gaudia mille canunt.
 Vocibus angelicis, nostro quas nomine fundunt
 Nos miscere etiam carmina grata decet.
 Ac lætari hodie, nobis gratantur vt illi
 Immanuel cœli sede quod ortus adest.
 Qui fera contriuit scelerati colla Draconis
 Sustulit & nigri carceris imperium.
 Qui nos exemit miseros ex faucibus Orci
 Inq; sui duxit regna beata patris.
 Dicite nunc lætos versus hominib; Deoq;
 Vos quibus est curæ cunq; salutis amor.

FINIS.